

FRANCISCI PATRICII
PANCOSMIAS
LIBER SEPTIMUS
DE MUNDO EMPYREO.

Hactenus, ut mundi universi corporei, constructionem recto ordine institueremus. Principia omnium corporum primæva, quæ nam essent, et proposuimus, et demonstravimus. Nunc ad universi ipsius facturam, ac Cosmopeiam proprius accedamus. Et nostro more, a vetustissimis ordiamur. Inter Zoroastri oracula, hæc quoque leguntur, quæ a summo ad imum, universum videntur compræhendisse.

Ἐπτὰ γαρ ἔξωγκωσε πατὴρ στερεώματα κόσμον

Τὸν οὐρανὸν κυρτῷ σχήματι προθικλεισας

Πῆξε δὲ πολὺν ὅμιλον ἀστέρων ἀπλανῶν

Ζώων τε πλανωμένων, ὑφέστηκεν ἐπτάδα.

τὴν δ'ἐν μέσῳ τιθεῖς, ὕδωρ δ'ἐν γαίας κόλποις.

Ηέρα δ'ἄνωθε τούτων.

“Septem in molem formavit pater firmamenta mundorum.

Coelum curva figura circumcludens.

Compegit multum coelum astrorum inerrantium.

Animaliumque errantium, constituit seprenario.

Terramque in medio posuit, et aquam in terræ sinibus.

Ærem desuper his.”

Ordo quidem corporum universorum ab aplane, usque ad terram videtur recte positus. Sed numerus septem firmamentorum, non videtur rei respondere. Sunt enim aplane una, septem planetarum orbes, deinde elementa tria, quæ numerum undecim conficiunt. Verum quomodo essent septem, Psellus annixus est aperire.

Ἐπτὰ δὲ φασὶ κόσμους σωματικοὺς: ἐμπύριον ἔνα καὶ πρῶτον, καὶ τρεῖς μετ'αὐτὸν αἰθερίους, ἔπειτα τρεῖς ὄλαίους. Οἱ ἀπλανῆς κύκλος, τὸ πλανώμενον, καὶ ὁ υπὸ σελήνην τόπος: καὶ τὸν μὲν πρῶτον, ὀφορίζουσι κατὰ τὸν νοῦν. Τοὺς δ'αἰθερίους κατὰ τὴν ψυχήν, τοὺς δ'ὄλαίους, κατὰ τὴν φύσιν.

“Septem vero dicunt mundos corporeos. Empyreum unum et primum. Et post eum tres æthereos, deinde tres materiales. Inerrabilem circulum, erraticum, et eum qui sub Luna est locus. Et primum quidem diffiniunt, secundum mentem. Æthereos vero, secundum animam, Materiales vero, secundum naturam.”

Sed Pselli magis est laudanda voluntas, in huius loci explicatione, quam ipsa explicatio. Neque enim nisi duos æthereos enumerat, et unum hylæum, et locus sub Luna nullo modo potest pro æthereo intelligi. Sed ut nos tenuit voluit dicere, Chaldæos, septem corporeos mundos constituisse. Unum ac primum omnium, Empyreum, quem Menti assignarunt; tres ætheræos, aplanem, loca Planetarum. Et Lunæ orbem. Et hos anima subdiderunt. Et tres alias elementales Æreum, Aqueum, et Terreum, quos Natura tribuerunt. Diligentius Proclus, referente Simplicio, rem hanc eandem est persecutus. Ad illud oraculum.

Αρδίνν ἐμψυχοῦσα, φάος, πῦρ, αἰθέρα, κόσμους.

Abunde animans, lumen, ignem, æthera, mundos.

Ad quod in hoc verba scribit:

Τοὴν γαρ εἶναι τὸ φῶς, τὸ ὑπερ τὸ ἐμπύριον, μονὰς ὃν πρὸ τριάδος, τῆς τοῦ ἐμπυρίου, καὶ αἰθερίου, καὶ ὄλαιου.

“Hoc enim esse lumen, illud supra Empyreum. Quod monas est, ante triadem, Empyrei, ætherei, et hylæi.”